



# Laudes Panegyricæ,

qvas divinas meretur & planè Regias

PATRIÆ pariter & AUGUSTEI  
Parens,

*Reverendissimus, Celsissimus & Illusterrimus  
Princeps ac Dn.*

# Dn. AUGUSTUS,

Primas Germaniæ, Ecclesiæ Metropolitanae Magdeburgensis Postulatus Administrator, Dux Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ ac utriusq; Lusatia, Comes in Marca, Ravensburgo & Barby, Dynasta in Ravenstein, &c. Princeps ac Dominus meus benignissimus: Coram ipso optimo Patre, Patrisq; Deliciis, Dn. Johanne Adolpho, Dn. Augusto, Dn. Christiano, Dn. Henrico, Dn. Alberto, Principibus ac Ducibus Serenissimis; decantatæ

â

M. JOHANNE Schieferdeckern/

in Auditorio Augustei Majore.

ipsô Inaugurationis die Calend. Novembr.

Anno M DC LXIV.

---

HALLIS SAXONUM

Literis Christophori Salfeldii,

1511  
LITERATURS  
SACRA

PATRIE PATRIE ALLEGORIE  
PATER PATER ALLEGORIE

ERGÖTTA

LITERATURS  
SACRA

M. L. H. M. L. H.

ALLEGORIE ALLEGORIE

VIXI VIXI

HABET SAXONUM

LITERATURSACRA



**Q**uod bonum, felix, faustumq;  
sit! Omnibus rebus agendis præfari solet ve-  
neranda Antiquitas. Qvô eqvidem faustô omne  
neq; ego aliud in præsens auspicatus mei jam sermonis ante-  
loquium reperio. Cum Populus Romanus Hannibalem, su-  
peratis Alpibus, in Italiam descendisse, cladiumq; horrore  
Romaniq; nominis odio maximè conspicuum suis jam cer-  
vicibus imminere videret, Magnam Matrem, quam Tellurem  
credidere, ex Phrygia in urbem receptam auxilio sibi fore, ver-  
sibus persuasus Sybillinis, quibus monebatur; quando hostis  
alienigena terræ Italiæ bellum intulisset, eum pelli Italia vinci-  
que posse, si Mater Idæa Pessinunte Romam advecta esset: ab  
Oraculo Delphico responsum pariter tulit; ut qui vir optimus  
Romæ esset, adventantem jam Deam hospitio exciperet.  
Tum verò omni effusa civitate, Scipio, raræ virtutis Iuvenis,  
nec dum Quæstorius, ob viam ire jussus, matronæque primo-  
res cum thuribulis & donariis novam Deam in ædem Victo-  
riæ, quæ in Palatio erat, pertulere. Nec pietate, nec virtute,  
nec studio minore, magnam illam omnis sapientiæ Matrem,  
omnium virtutum Nutricem, Quam Gymnasium aut Lycè-  
um adpellare consuevimus, insidente Ungariam Mahomedæ,  
oculosque sæpe ad Germaniam nostram retorquente, quam  
tantisper ex suis faucibus erectam esse luget, in Urbem, auspi-  
ciis & ductu ipsius Principis Reverendissimi, DN. DN.  
**AUGUSTI Postulati, Administratoris Archi Epis-  
copatus Magdeburgensis, Ducis Saxoniæ, Juliæ, Cli-**

viæ ac Montium, Landgravij Thüringiæ, Marchionis Misniæ ac utriusq; Lusatia, Comitis in Marka, Ravensburgo & Barby, Dynastæ Ravensteinij, Principis ac Domini mei Clementissimi, Patris Optimi, vestigia benignitatemque sequutis Principib⁹ Juvenib⁹ Serenissimis, DN. Johanne Adolpho, DN. Augusto. DN. Christiano, DN. Henrico, DN. Alberto, Dominis meis gratosissimis ; in urbem, inquam, accepturos Proceres, pietate insignes, nobilitate celsos, gravitate conspicuos, Sapientia & Prudentia celebres, meritis in Patriam Illustres, cojisse video, ut eam manibus suis exceptam in sacra hac æde consecrent : omnis ordinis & dignitatis spectatissimis viris, Civibus pariter & advenis, ad hanc panegyrin, tanquam ad Olympicam celebritatem undevavorsum confluentibus. Credo eqvidem, qvi aures jam arrectas, qvi ora & oculos in me convertitis, mirari, qvid sit, qvod, cum tot summi viri hominesq; nobilissimi adsint, ego potissimum surrexerim & is, qvi neq; ætate, neq; ingenio, neq; authoratesim cum iis, qvi adsint, comparand⁹ & vobis, Auditores omnium Ordinum honoratissimi, ne Scipio quidem, aut venerandus potius Præses & Antistes defuit, qvi Deo O. M. ita moderante, Celsissimoq; Augustō nostrō jubente, Matrem novam & Nutricem hospitiō ritè acciperet. Mihi, cujus commoditati ingenium, gravitati ætas impedimento est, inter reliquam adclamantium & gratulantum turbam, è longinquō vestigia vestra legere & vociferari liceat : Qvod bonum, felix, faustumq; sit ! Non desunt, qvi maximum Dei beneficium, qvi non vulgarem, &c, qvæ, tempore præsertim tam necessariō, vix optari posset, Piissimi Augusti munificentiam verbis ornare amplissimis & valeant & velint. Ego, non electus unus, qvi maximō ingenio, sed relictus à tergo ex omnibus, qvi minimō labore & periculō possem,

fau-

fausta gratantium omnia excipere, abruptasq; Salutantium voces ingeminare jubeor : Feliciter tuo Imperio, Illustrissime Princeps, feliciter Augustæ domui, & quam tantō opere auges, Auguste, gloriæ literariæ !

Cum Italianam formidolosus Hannibal insideret, populum Romanum à Magna Matre in urbem recepta præsidium mutuatum esse, accepimus. Non minus subsidium adverso nefarios Mahomedis barbarorumq; conatus Reverendissimo pariter atq; Illustrissimo Principi, Augusto, promittit omnium artium & virtutum Mater, quam hodiè intra mœnia, velut invictum Palladium atq; firmissimum Imperii pignus, recipit. Hæc enim jam in hâc augustissimâ Petra, in qua illibata religio & potentia suæ sedem fixit Pater Patriæ, pacis belliq; sedet arbitra, pia arma ab impiis discriminans, legum moderatrix atq; Saxonicae libertatis gloriæq; custos. Nec ignoravit id prudentissima Augusti pietas, qvæ difficillimô maximeq; necessariô tempore hoc, dum ferale classicum nos circumsonat, inter publicas curas, literas esse jubet, & crescente indies armorum strepitu, inter tubas & lituos, togatam quoq; stare Palladem : ut sint, qvi in castris togati non minus, quam sagati pugnant; ut sint, qvi domi velut ad arculas sedentes, pariter Duci consilia & tela suppeditent militi; & quod primū omnium censeri deber, ut sint, qvi civium foris pugnantium ex sceleribus contractam domi eluant maculam. Noluit Gloriosissimus Princeps in hâc æde hospitari Vacunam, pestem urbium : nulla hic inertiae relinquit diverticula, nulla male feriatis desidiabula: Sed lectissimos Juvenes, qvos meliore mentis succô imbuit natura & ad majora præparat industria, suâ ali munificentia, suô favore protegi, suâ deniq; & doceri & evchi vult curâ. Abest igitur Augustus noster quam

proximè ab eorū Principiū generositate , qvi Natalium Majestatem , rerumq; gestarum splendorem optimarum artium claritudini conformârunt ac veluti consecrârunt. Taceo vetusta nimis , Cæsar is videlicet Dictatoris & Augusti proclivem in studia animum : qvorum Laudabili exemplo satis docetur orbis, tum beatas fore Res publicas , si aut Docti & sapientes homines eas regere cœpissent, aut, qviregerent, omne suum studium in doctrinâ & sapientiâ collocâssent. Ad posteriora ætatiq; nostræ propria veniamus. Carolus ille, qvem belli pacisq; gloria Magnum constituit, haud satis sibi fore duxit , regni diadema cum Aqvila conjunxit, si non itidem rogatam & militarem lauream sociâsset , in urbe , qvæ Regni caput, ædem eidem consecrando ; qvod Gymnasium posteri ejus Reges plus plusq; ornatum celeberrimum reddidére: in primis Franciscus I. qvi ipsô ferè tempore, qvô post fœdam barbariem Maximilianus in Germaniâ , & Leo X. in Italia primi ad benè sperandum dere literariâ quasi signum sustulere, suis opibus & copiis errantes totô prope modum terrarum Orbe Musas convocavit, qvas intra Regni pomœria receptas , tanquam firmissima Imperii pignora atq; invictum, Palladiū sibi fore rebatur. Lampada Serenitati Tuæ tradidisse, credo, Avos Tuos, Electores Saxoniæ, Heroas incōparabiles, Fridericos, Mauritium, & qvem virtute non minus, qvam nomine, tam constanter exprimis, Auguste, Augustum, qvi superiori Seculô , qvô Principibus suis infelicius aut periculosius nunquam vidi Orbis, limpidos doctrinæ fontes à Lutherò ostensos seqvuti, & impura Papatus dogmata odiô, qvô par erat, proseqvuti, Scholas & Academias omnigenæ eruditioonis aperuerunt, apertas opibus maximis ornârunt, ornatas auctoritate stabilierunt. Collidebantur tum invicem status Imperii, & mutatâ religione, mutabantur animi ; inde ruendi in ferrum

ferum mens prona viris. Stagnabat Sangvine civium suorum & Martyrum orbis, & alta Imperiis ingerebantur vulnera ; cum beneficiō divinō immortaliq; literarum in Electoratu Saxonico disseminatarum factum est, ut AntiChristi Occidentalis vesania, neq; vicquam ringentibus & obluquantibus Papalium furiis, omnium ludibrio exponeretur, pedibus conculcaretur, & Saxonia reliquis divinioris fidei sedibus palmam & facem, qvam magnō Jubare etiamnum præferre videmus, præriperet omnibus. Quid igitur mirum, TE Augusti Tui ætnulum Augustum, inter tubas barbaricas & armorum Asiaticorum strepitus, ad retundendam AntiChristi Orientalis non minus, qvam Occidentalis, barbariem, novum robustioris Doctrinæ Seminarium adultiorib; statuere, eðq; animos evocare, qvò qvemq; sua hortatur salus, qvò Parentum votum & Patriæ universæ spes vocat. Qui enim nunc & domi & fo-ris in puppi sedent, summæ rei arbitri, pars consenescunt & animo non minus, qvam corpore, deficiunt ; alii præproperō fatō aut ferrō rebus humanis extimuntur. Novâ igitur, eaq; non infante, in tantam spem opus est sobole : alii fulcendo huic cœlo sunt evocandi, qvibus succollantibus nitatur salus publica ; adeò, ut post Deum immortalem, cum Tuæ Juventæ flore, vel benè vel malè succrescente, stet cadatq; Respublica, qvæ nunc veluti in alto fluctuans post hominum memoriā maximâ tempestate variè jactatur, atq; eos olim qvam maximè sospitatores expectat. Plurima, fateor, alia & maxima, non olim modò, sed & hodiè dubiō hoc rerum statu, habent viri Principes, qvibus & nomen & Rempublicam nobis & posteris commendent. Quid potius videatur, qvam vel virtute, vel prudentiâ, vel copiis toties barbarum submovisse finib; non unam triumphalem emeruisse lauream, postibusq; suffixas ostentare tot hostiles exuvias ? quid præclarius, qvam patriæ

patriæ libertatem adversus præsentissimā perniciem adseruis-  
se, eòq; rem perduxisse, ut Europæ tantum non succumberet  
Asia. Multò tamen maximum, sine qvo cætera consistere  
nequeunt, literarum Decus sibi vindicâsse, & incredibili Au-  
gusti nostri exemplô, jam jam ruituro orbi fulcrum supposui-  
se, belli pacisq; insignia urbis suæ, qvæ Dominii caput, & tan-  
tum non, absit invidia, universæ Thuringiæ ocellus, postibus  
publice suffixisse: ut, qvod è longinquo & per varios viarum  
anfractus qvæ situm fuit hactenus, habeatur domi, & in pro-  
clivi; qvod magno emitur, gratuum sit; qvod vitâ & san-  
guine sæpius amittitur, armis veluti lusoriis anqviratur; quod  
alibi invidet noverca, hîc profundat benigna Mater, ubi  
nihil clementius cœlô, nihil purius aëre, nihil uberior fo-  
lo, nihil suavius secessibus, ubi severiorum studiorum inter-  
valla honesto otio dispungendi sit oportunitas. Cujus rei  
dignitatem & magnitudinem quod quæso seculum; quis un-  
quam tacebit hominum? quæ non recordabitur memoria?  
Sileant licet, seu lugeant poti⁹, quos nec tanta subducere pot-  
est frequentia, invidi & malevoli rerum æstimatores; sunt ta-  
men, erintque in posterum, qui vel ipsi meritis tuis ornati, vel  
bonum publicum melius edocti, avitæ libertati & tuo Imper-  
rio, cui tantæ rei debent auspiciū, devotam hîc ostentabunt  
sobolem suam, atque inter tot gratantium fausta omina juxta  
mecum Tuisque alumnis, quotannis, quod unum possumus,  
gratabant ad surgent, solenniter ad clamaturi: Feliciter Tuo  
Imperio, Illustrissime Princeps, Feliciter Augustæ  
Domui, & quam tanto opere auges, Auguste, glo-  
riæ literariæ! Non Juvenes & senes modò in circulis & se-  
micirculis passim prædicantes audias, verum etiam, quod ca-  
put est, quasi per manus ultimæ posteritati quisque tradituri  
sunt, fastique & annalibus signatum publicis, ad sempiternam  
rei

rei memoriam, fama loquetur anus. Quod jam oculis cap-  
it & auribus haurit præsens civium & advenarum multitudo,  
vel invidiâ suppressit, vel metu haud satis digne animô am-  
pletebitur: absentibus & posteris longè gratior erit memoria.  
Audita enim visis laudamus libentius: & qvod laude di-  
gnum vetusta tulit ætas, agnoscimus; præsentia vituperam-  
us. Neq; vestrum laborem, Ephori Eminentissimi, quo-  
rum censiliô & ministerio Antistes & Agonotheta Maximus  
religionis & literarum gloriam in id fastigii evexit, qvos qvò  
verecundius fileo, eò gratius colo, neq; vestrum, si-  
lebimus laborem. Hodie nus, qui novam hanc ædem do-  
ctrinæ & virtuti, idem nomina vestra immortalitati consecra-  
bit dies, testabiturq; nullum in honestiora studia vobis defu-  
isse animum, neq; quicquam vestrum conquiesset, qvoad  
decus hoc, quod felicissimi Regum & Principum semper  
summum credidere, Augusto vestro, Argustoq; huic, impe-  
traveritis. Qvoniam verò & provida Dei O. M. dextra, &  
Celsissimi juxtim ac Illustrissimi Principis, Domini mei be-  
nignissimi, gratia, non postremam laboriosæ hujus provin-  
ciæ partem mihi imposuere, ut meam opellam ad hoc præ-  
clarum opus conferrem, meum profectò & jam & inposte-  
rum, dum vitâ mihi frui contigerit, erit, ut tantum vobis, A-  
gonothetæ, Deus & Princeps, quantum possum facere, polli-  
cear; debitâ scilicet animi submissione, observantiâ, pie-  
tate, fide, semper me vos prosequuturum, operamq; unicè  
daturum, ne ullo in loco impositæ personæ & susceptæ pro-  
vinciæ videar defuisse. Neq; enim aliam vestra fortuna à  
me desiderat remunerandi vicem, neq; mea suggerit refe-  
rendi facultatem. Deum, & qvos Deo proximos suspicit  
mortalitas, in primis decet esse munificos, atq; qvid velint,  
imperare: mihi obsequii gloriarelinquitur. Qvod si quis

B

in

in ea versatur opinione, me juventem adhuc laborum ferre magnitudinem non posse; etati plus tribuere, quam pars est, videtur. Nihil tam difficile, quod non expugnet sive Senum sive Juvenum pertinax sedulitas: nihil tam senile, quod non doceat in omnem duratus patientiam, & in quemvis casum firmatus animus. Quanquam quid est, quod vel impræsentiarum vel in posterum de opinionibus potius cognoscendis, quam, qui de me optimè meriti sunt, colendis cogitem? Hoc igitur, Agonotheta Maxime, Patriæ patriter & Gymnasii Parens Serenissime reliquiq; novarum Musarum Ephori, hoc, inquam, Sancte in me recipio atq; promitto, mihi neq; in consiliis lubricæ juventuti dandis studiū, neq; avertendis damnis atq; propulsandis periculis animum, neq; provehendis augendisq; Rei literariæ commodis industriam, neq; improbis meæ commissis fidei revocandis preces, minas, gravitatem, exemplum, neq; veritate adserendâ sententiâq; dicendâ fidem defuturam. Erit hæc animo meo cura penitus infixa, quæ ne labefactari quidem poterit, nunquam dimoveri loco.

Quod ut fiat & feliciter cedat, Tibi rerum mortaliū stator potentissime, DEUS Pater, Fili & Spiritus Sancte, devotâ mente & submissis oculis supplicamus, uti, quæ pro tanti operis exordio & successu vota pie nuncupanda sunt, in hac Tuæ Majestati sacrâ æde ritè obsignemus. Tuæ unius gloriæ consecramus, quod sapientiæ & virtuti hodiè dicamus delubrum, humillimo venerati animo, velis, doctrina & probitas in eo, ut par est & decet, collantur, literariæ opes ita dispensentur, ne sordida avaritia, aut malevola ambitio, AUGUSTI NOSTRI flagellet munificantiam.

Quâ ut omnes, &, si quæ futura est, posteritas, longum fruamur, hoc Ecclesiæ & Republicæ Tuæ, quæ jam ab Achmete

mete detestabili post hominum memoriam gravissime pie-  
mi & labefactari cœpit, novum Seminarium cœlestis gratiæ  
tuæ rore subinde irrigare, Tuô illô Justitiæ Sole sovere, Tuiq;  
Numinis Spiritu ita perflare digneris, ut cunctum virtutum  
& scientiarum lätâ propagine adolescat feliciter, & melio-  
ris frugis, qvæ nunc veluti in herba est, magnô proventu bect  
Ecclesiam, cumulet Rempublicam, infelix Mahomedicæ  
superstitionis lolium, & steriles Musulmannicarum opem a-  
venas suppressat, radicitus exurat, &, qvod hujus civitatis  
omniumq; nostrum præprimis votum est, AUGUSTO NO-  
STRO AUGUSTIq; DELICIOS decus & ornamentum  
adferat perpetuum, neq; unquam, AUGUSTI nomine &  
serenitate illustratum, vocari aut esse desinat

AUGUSTEU M!

DIXI.

B 2 ORA-

ORATIO  
NATALEM  
*Celsissimi & Generosissimi Principis  
ac Domini,*  
**Johannis Adolphi**  
Ducis Saxoniae, Julii, Cliviæ ac Monti-  
um, Comitis Provincialis Thuringiae, Comitis Limita-  
nei Miśniæ, ut & Superioris & Inferioris Lusatiae, Comitis Marcæ,  
RAvensburgi & Barby, Dynastæ Ravensteini ,  
*Reverendiss. Serenissimq. Primatis Germanie  
ac Domini,*  
**Dni. Augusti,**  
Ducis Sax Jul. Cliv. & Montium, &c &c, &c.  
FILII PRIMOGENITI  
DNI. SUI CLEMENTISSIMI  
*In ipsam illustris Gymnasii Augusti foundationem quartum Nonas Novembris  
incidentem*  
*In Serenissimorum Celsissimorum & Generosissimorum Princi-  
pum & Comitum, nec non Virorum Generosâ Nobilitate,  
Consilio variâq. doctrinâ conspicuorum*  
Panegyri  
Debitâ subjectione A. O. R. M. DC. LXIV.  
celebrabat  
**M. Caspar Esaias Siegfried** in Illustr. Gymnas. Augu-  
sto Oratoriæ & Poëseos Professor.

# FELICITER!

**I**Ndulge qvæso , Reverendissime  
atq; Serenissime Princeps ac Domine, DNE,

AUGUSTE, Archi-Episcopatus Magdeburgici Postu-  
late Administrator,&c.&c. DNE. Clementissime. Indul-  
gete & vos, Celsissimi atqve Generosissimi Principes ac Do-  
mini, Duces Saxonie, &c.&c.&c. DNI. mei Clementissimi.  
Nec non Generosissimi, Liber Baro Ruthene, Comésque de  
Conciny, Dni. mei gratosissimi, gratiosis advortite animis !  
Vos autem Viri Magnifici, Generosi, Nobilissimi, plurimūm  
Reverendi, Excellentissimi, Amplissimi, Consultissimi, Cla-  
rissimi, Doctissimique, DNI. Patroni, Fautores & Amici su-  
spiciendi, amandi, benevolis excipite auribus illud inquam,  
qvod communiter dici consuevit : Plures magis amant So-  
lem Orientem qvam Occidentem. Outinam Tu , Serenissime SOL, Magne AUGUSTE, DNE. Clementissime, no-  
bis nunquam occideres, radiisq; tuis perpetuò nos illustrares !  
Atat, ut sunt humana , qvorum omnium vicissitudo. Etenim  
omnes una manet nox & calcanda semel via lethi, Sólqve ori-  
tur & occidit : Ideò tandem proh dolor ! tandem eheu !  
( faxit DEUS sero ! Serò Te DEUS in cœlum redire faci-  
at, diuq; latus supersis Primas Germaniæ populo Germano )  
TE SOLE qvidem , sed non omni destituemur Solatio.  
A Te enim Soles Tui similes , spes deliciæq; nostræ, clemen-  
tiæ suæ impræsentiarum in nos spargentes radios , nobis re-  
linquuntur. Indulgete inquam mihi hodie horum unum O-

rientem, non cum temerario & inconstanti vulgo magis,  
quam gradu uno vel altero à meridie versus occasum defle-  
ctentem, sed amare Solem : Te inquam inter hos Soles  
radiantem quem conspicio,

Celsissime ac Generosissime Princeps ac DNE. DNE.  
**JOHANNES ADOLPHE**, Dux Saxoniæ,  
Juliaæ, Cliviæ ac Montium, Comes Provincialis  
Thuringiæ, Comes Limitaneæ Misniæ, ut & utriusq;  
Lusatiaæ, Comes Marcæ, Ravensburgi & Barby, Dy-  
nasta Ravensteini, DNE. Clementissime, Te in-  
quam, de quo vere dici potest illud Poëtæ:

Ut Sol in cœlis, ut lux in Sole videtur;

Virtus in vultu sic habitare tuo;

Spectator quicunq; venit, discedit amator,

Aut illum virtus aut tua forma capit.

Ea de causa' mihi adorandus es quod non sine omni &  
Numine in Festivitatem & fundationem hujus Augusti, tam  
clari Syderis, tam Serenissimæ Frontis, Optimi Principis ex-  
optatissimus incidat Natalis. November mensis quondam  
a Commodo Imperatore nomine Exuperatorius insignieba-  
tur teste Lampridiō. Nobis verè dici & haberi hic mensis  
potest exuperatorius. Magnificentia enim & fundatione hu-  
jus illustris Gymnasii piissima non tantum clementissimus Pa-  
rens exsuperat multos ; sed & annos exsuperat dilectus prin-  
ceps Filius. Quid Dux Saxoniæ, superatne & vescitur aurâ ?  
imò superat, Superi favente gratiâ,

Si universus, quaquam patet, Leucopetræus, Thuringiæ  
ferè & Saxoniæ Tractûs pars quendam felicitatis suæ haberet  
sensum, & quantum hoc ipso die nato quondam in Principe  
Johan-

Johanne Adolpho adepta fuerit commodi, condigne aestimare posset, dubium non est, qvin Sala flumen, Montes, & qvid Sylvarum complectitur, in gaudium convertantur ac lætitiam, in usitatum qvoddam gratulationis signum editura. Et me gaudium hoc non rapiat? & nos præ lætitia non exultemus. Nimirum ingens gaudium me qvoq; humillimum, subiectissimumq; Servum ad præsentem Panegyrin, simul ad nuncupanda pro Principis hujus Salute vota pertraxit, nihil cunctatum, ut ne inter publicas acclamations, peremptō intra pectoris secreta gaudiō, lucem hanc, cuius Festivitas citra impietatis crimen sileri haud potest, indictum paterer debitumq; meum de promerem. Qvod dum præstare annitor à Tua Serenitate, Reverendissime ac Serenissime Princeps ac Primas Germaniæ, ut & à vobis, Celsissimi ac Generosissimi Principes ac Duces Saxoniæ, DNI. mei Clementissimi, nec minus à vobis, Generosissimi. Deniq; à vobis, Patres conscripti, Dominis Auditoribus meis, omnium ordinum honoratissimis, suspiciendis, colendis, eâ, qvâ par est, subjectione humillima, observantia & cultu majorem in modum peto, me admirantem potius, qvām tanti Principis virtutes lingvâ balbutiente dicentem, vestrâ Clementiâ, vestrâq; benevolentiâ & favore sublevare ne dedignemini.

Antiquissima sine omni dubio, Principes Clementissimi, Natalium est celebratio, qvod ex antiquissimis institutis & consuetudinibus populorum facile deducerem, nisi clementiâ vestrâ in auscultando abuti, piaculum ducerem. Persis maximè originem debent, qvos Græci & Romani, hosq; hodiè Germani sunt secuti. Qvæ consuetudo tam universalis & certa apnd omnes ferè fuit, ut usus vocabuli Natalis in omnes dies propter aliquam lætitiam insignes abierit. Romani iudos Natalitos in Natalibus magnorum Virorum celebran-

lebrando*s* instituēbant, de qvibus Lampridius & Capitolinus.  
Persæ more suō i.e. luxuriosè vivebant his diebus. Manavit  
& ad Christianos hoc institutum, qvando teste Tertulliano Lib.  
de Militis corona Nostri illis diebus oblationes faciebant, in  
temploq; unā epulabantur, qvæ posteà luxuriae Nicenæ Syno-  
di decreto sublata est. Ambrosi qvoq; temporibus hic cultus  
celebris, qvi Epistola qvadam ad Felicem, Episcopum Co-  
mensem monet, non ludis voluptatibusq; sed diem precibus  
agendum. Ferè Solos Thraces & Cauianos, populos min⁹  
moratos contrariis ductos fuisse moribus suō tempore, anti-  
qvissimus qvidem, at nonnunquam fabulosus Scriptor, qva-  
les eā ætas tulit, Herodotus Lib. 5. memoriae prodidit, Hi  
enim lætitiam non solū omisisse, sed in luctum acerbum fle-  
tumq; eandem commutasse, qvoties nasceretur infans, tradun-  
tur, nixi hâc ratione, qvod Nascenti multa mala devoranda,  
denato autem jam superata essent. Quemadmodum autem  
moratores Gentes rationes hæ, vitæ nimirum dignitas & gra-  
titudo erga Deos immortales vitam concedentes in consuetu-  
dinem hanc perduxerunt ; ita ad contrariam rationem faci-  
lè responderi posse videtur. Vitam enim inter maxima, qvi-  
bus à Deo afficimur, beneficia numerandam esse, ipsi conce-  
dent. Vita divinum qvid à Fonte vitæ Deo nobis concessa  
est, eō nomine dignior, qvō difficilius acqviritur & servatur,  
qvam amittitur. Nos enim ipsos vitâ privare, eandem au-  
tem dare nobis non possumus. Mortem contra esse privatio-  
nem largientur, eandem rerum omnium esse ultimam lineam  
pro Gentilismo suo isti populi non negabunt. Colligite jam  
terminos : Qvod à Deo, ejusq; imago est, id rejiciendum ;  
qvod verò à corrupta Natura & maligna ; exoptandum est. Be-  
neficii collatio secundum illos deploranda, ejus ereptio & de-  
structio benevolè accipienda, qvæ insania ? Rectius longè  
omnes

omnes ferè Gentes Natales celebrant. Meritò & nos hodiè  
Principis nostri Natalem, sed institutò alio atq; aliò, nō Persa-  
rum, sed Christianorum more eò magis celebramus, qvò po-  
tiora adsunt merita, dignorésque causæ. Magna sanè gra-  
tia Numinis est & felicitas, vivere ; major, vivere non bruti,  
sed hominis vitam ; major adhuc, vivere Principem ; omniū  
autem maxima vivere Principem bonum. De maximis jam  
sumus saltem dicturi, vivere nimirum Principem nostrum ;  
imò vivere bonum Principem. Non sanè heri aut nudius  
tertius nata est Politica, qvæ Principum Liberos inter arcana  
Imperiorum instrumenta transscripsit, ut securior sit Principa-  
tus promptiore omnium obseqvio, tanquam inspectante Suc-  
cessore, si quid indignum in viventem statuerint, vindictam  
metuentium. Ex qvo Fonte, deficientibus Liberis, naturam  
imitata promanavit adoptio, qvâ sapienti consiliò Augustus  
qvondam adscivit Tiberium ; sed ut is item in suos Penates  
Germanicum induceret, qvanquam in domo Tiberii esset  
Filius, qvo plurimis firmamentis niteretur. Siqvidem non  
Legiones, non classes perinde firma sunt Imperii muni-  
ta, qvam Liberorum numerus. Hinc Sejano Principatum  
sibi moliente, plena Cæsaris domus, juvenis Filius, adulti  
Nepotes moram cupitis afferebant. Optimâ proinde ratio-  
ne Pallas, Claudi Libertus, ut in Domitium festinaretur ado-  
ptio, stimulabat Principem, consuleret Reipublicæ, seq; ac-  
cingeret juvēne, partem curarum capessituro. Galba, auditâ  
Pisonis adoptione, senem se posse videri desinere, non frustâ  
putabat. Qvò etiam ipso remedio Adrianus Imperator orbi-  
tatem suam corrigens, adoptatò Antoninò præcepit, ut non u-  
num, sed binos sibi aggregaret hæredes eā fini, ne successores  
deficerent. Sed quid veterum exempla ! ipsa Romani Re-  
gis vivô adhuc Imperatore electio hoc nititur fundamentò.

C

Con-

Contra Principes hæredib⁹ destituti, Regna sua in præruptum  
& anceps perduxerunt periculum. Cùm Resp. Rectore vacua  
distrahatur in partes, & in illo posita sit discrimine, qvō navis  
inrer insanos fluctus Gubernatore destituta, tempestatibus ex-  
posita, jam jam interitura. E multis unum ante oculos no-  
bis ponamus Alexandri M. exemplum, cui nunquam  
in Regno Sol occidebat, qvi cùm ingentem animam cœlo  
redditurus, interrogatusq;, qvem hæredem scriberet Imperii  
respondisset, Dignissimum: eā voce non secus, ac si classi-  
cum inter amicos cecinisset, omnes in æmulationem accen-  
dit. Principes Regnum & Imperia; vulgus militum grande  
auri pondus veluti optimam prædam intenderunt; populus  
verò libertatem vertit in libidinem. Inde nunquam in Pseu-  
do-politicorum nonnullorum sententiam, fœcundam pro-  
geniem, cœlibatum & purpuratum Sacerdotium svadendō  
inhibere studentium, induci potui. Nam ut prolis multipli-  
cationem benedictionem divinam esse, promissam Deum  
timentibus, silentio præteream, repugnat insuper prin-  
cipiis veri Regiminis ejusmodi institutum. Qvō plu-  
res enim Imperaturus potentiores necessitudine sibi jungere  
prævalet, eō felicius imperat. Nulla autem necessitudo  
major est, qvām qvæ intercedit Filiis cum Parentibus, Fratri-  
bus intersese. Orientalis illius Tyranni, fratres omnes è me-  
dio tollentis, ut solus tutum possideat Regnum, Tyrannicū  
& execrandum est institutum. Parūm abest, ut tutum Scelere  
Regnum hōc possideat, ut consultori malo consilium pessi-  
mum ipse discriminibus vitæ innumeris exposit⁹, tutum qvi-  
etis locum nec in ipsa Regia judicet Tyrannus. Nec divisio  
Regni, potentiae & virium h. m. perse; Sed si cum Regno  
dividuntur & distrahuntr simul animi, seqvitur, cādem vel  
aliā facile ratione componendi. Ut ita melius agatur cum  
illo Principatu, qvi firmo successionis jure ad Liberos Præde-  
ces-

cessoris devolvitur, Multæ sic cohidentur turbæ , multæq; dissensiones comprimuntur. Habet prætereà præcipuam ac eximiam qvandam reverentiâ illud certis familiis stirpibusq; illigatum Regimen. Rapitur qvippe ad similitudinem suorum excellens qvævis natura, & Nepotum mores Avitis ut plurimum affines esse solent. Fortes enim creantur fortibus & bonis, nec imbellem progenerat aquila columbam. Tener adhuc hædus , nec cornibus satis fidens jam dicit paternum gregem, pecoriq; imperat. Nō minus itaq; Generosa mortaliū semina in suos exurgunt ortus , & magnus filiis stimulus est Avitum decus , qvi cum Majorum intuentur imagines , vehementissimè ad eandem incitantur virtutem. O igitur felices, ô terq; qvaterq; beati, qvibus tali serie & Successione Principum suorum frui datur cœlitus ! Qvo loco felicitatis igitur Ego vos habeam , hujus terræ Incolæ & Tyrigetæ , qvi præsentia hæc florentissima Rutæ Germina, Patriæ spes & decora, & hæc inter Primogenitum Johanneum Adolphum , Magni Augusti Principem Filium , intuemini ? Salve igitur felicissime Natalis , qvô ante annos quindecim Princeps hic nobis natus est & datus. O dies albo notanda lapillô ! ô nunquam Satis celebranda !

Magna Sanè est felicitas , si Regnum seu Principatus successore & Principe Hærede non destituitur ; Majortamen si eō quoque bono frui datur. Et Tyranni suos sortiuntur successores, sed subditorum & Reip. pernicies. Nos verò beat bonus Princeps. Quantò beator nostra erit Resp. non tantum Principe , sed & Optimo futuro Successore qvæ se videt stabilitam munitamq;. Quantò magis gratulabimur nobis de tali Principe, qvô majori celebrabimus gaudiō diem eius Natalem. Esse autem Johanneum Adolphum nostrum bonum Principem, vel inde nobis constat & certi reddimur,

quia à Parente est Principe Optimo. Neq; enim Reverendissimus & serenissimus Princeps ac Dominus noster meliorum dare nobis potuisset Filium, qvām sui simillimum, cui amore Dei, studiorum & civium nihil est antiquius, & qui in summo fastigio non magnus magis, qvām bonus audiri semper allaboravit inter potentiam clementiamq; medius. Nemini Politorum illa trita ignota esse potest quæstio: an melius sit Principi, magis amari, an timeri? qvorum multi Machiavellistæ præprimis pro timore tanquam pro aris & fobis pugnantes, Tyrannicum illum & versum execrabilem, qui multos dederit præcipites secundum Senecam inculcant: Oderint, tum metuant. Ast videamus fundamenta horum. Timor sanè non unus est idemq;. Qualem illi intelligunt, quâ ratione injicitur? Tyrannide. Tyrannis quomodo paratur? vitiis, malo. Quo autem pacto amor conciliatur? Bonitate. Quem quæso amamus? qui bonus est. Bonum enim omnes appetunt. In quo ergo consistit Bonum? in virtute. Virtus ea ipsa est, quæ omnia in se continet bona, omnia adsunt bona ei, quem penes est virtus. Vitia se ipsa inter se destruunt, & sibi ipsis, v.g. prodigalitas avititia &c. sunt contraria. Virtus autem una alteri non repugnat. Nec fortitudo cum temperantia, nec hæc pugnat cum justitia. Ipsi Machiavellistæ virtutem simulari volunt. Quamvis virtus prematur, tamen non opprimitur. Vitia autem quemadmodum se ipsa inter se destruunt; ita Tyranni ut plurimum crudeli morte pereunt. Sed forsitan nimia bonitas aliquando degenerat in vitium, quemadmodum Aristides justitiâ suâ, quâ præ omnibus justus vocari cupidè elaboraverat, efficiebat, ut exilio decem annorum multaretur? Verum Salva res est; in medio omnis virtus est posita. Nec omnis timor declinandus. Etenim, qui bonus est princeps, clementia adjun-  
ctam

Etiam habeat justitiā amī necēsse est ; Justitiæ autem Præsides  
meritò timentur , sed à malis . Colligendum ex his , Principi  
pro diversis subjectis diversaq; subditorum natura modo ti-  
meri , modò amari cupidè elaborandum esse . Ametur à bo-  
nis ; timeatur à malis . Namq;

Oderunt peccare Boni virtutis amore :

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Semper tamen magis amari , qvām timeri Princeps stu-  
deat . Cūm enim qvām recte facere & medium attingere nihil  
sit difficilius , curva q; sæpe numerò ad rectitudinem produc-  
re , nisi in alteram partem incurvemus lignum , rectitudinem a-  
liō modō nunquam consecuturum , non prævalemus ; Ideò  
magis amari , qvām timeri , decem absolvere reos , qvām uni-  
cum punire insolentem , nisi enormitas vitiorum populi cuius-  
dam aliud postulet , Principem decet . Inter virtutes autem  
qvæ amari & bonum efficiunt Principem , gregem maximè  
ducit Pietas , fulcrum illud Reip. & Status Ratio . Alii multa  
de Ratione status nescio qva glorientur . Qvæ postulet Ratio  
status in arcanis habeant . Ratione status omnia tribuant illi  
soli confidentes . Ego Optimam status Rationem duco Pie-  
tatem . Ex Theologia fandamenta & exempla adducere su-  
persedeo , Politicis saltem probaturus . Quem enim qvæso  
Imperatores nonnulli simulatis suis cum Diis colloqvis finem  
intenderunt alium , qvām ut majorem sibi coram populo au-  
toritatem conciliarent & Majestatem ? Quid Alexander M.  
Filius Deorum haberi percupiens hōc sibi voluit instituto suo ?  
Quid Papæ infallibilitas & simulata Sanctitas ? Sola infallibili-  
tas totius Imperii Pontificii i. e. Tyrannidis ratio status meri-  
tò habetur . Qvod si simulata ejusmodi pietas tanta præstat ,  
qvanta præstitura vera est , & non fucata ? Omnes ego sine hac  
ratione status rationes vocem non rationes . Nam in actioni-

bus hominum contingentibus ratio statūs nullam habens ne-  
cessitatem facile flectitur in contrarium. Quemadmodum  
Consilium de Perdicca è medio tollendo ipsi Authori, cùm  
Perdicca literarum contra se sparsarum scipsum ad expiscan-  
dos suorum animos simulasset Authorem, cadebat contrariū,  
de quo Justinus. Pietas ergò sola fundamentum Reip. & O-  
mnis status firma ratio.

Et talēm Principem, Pietate imprimis, virtutibusq;  
statui suo convenientibus maximè conspicuum, inter clemen-  
tiam & justitiam medium, paucis Optimum, i. e. sui similli-  
mum hoc Sole natum Pater Patriæ Reipubl. est relicturus. Ec-  
qvis dubitet de tanti Principis virtutibus & de bonitate qvis?  
vel ex vultu ejus legi possunt omnes virtutes & singulæ, maxi-  
mè autem pietas; Actiones testantur. Qvis arbitretur, tanto  
Principi Musas nostras, hodiè ab infimo quoque abjectas, tam  
curæ esse cordiq;, ut die hoc Natali suo, post habitis aliis sum-  
mis honoribus, dilatis Aulicorum, Generosorum & Nobili-  
um congratulationibus plurimis & celebrationibus, Schola-  
sticæ interesse turbæ, ludōq; Natalitio, quem Gymnasium vo-  
camus, magis delectari, quam Romanorum ludis, vel Persa-  
rum, aut eō more, quem Virgilius exprimit: Phyllida mitte-  
mihi, meus est Natalis, Jöla. Celebrare eum maluerit? Ni-  
mirum Optimus Princeps Virtutibus delectatur non minus  
intellectualibus, scientia, prudentia, Artibus liberalibus &c.  
quam moralibus. Maximè autem pietate ductus in hono-  
rem D E I pia vota suscepturus hoc in loco Musas  
consecrato comparere voluit. Hodiè non descendit Antonius,  
cur? Natalitia dat in hortis, Cicero in Philipp. memini-  
nit. Tua autem Celsitudo, Princeps Optime, descendit ad  
nos de Regia, nec prius, quam Numinis diem hunc consecrà-  
rit, Musas salutarit, doctosq; cohonostarit, in Regia Natalitia  
dare


dare amat. O princeps optime, macte his virtutibus ! macte pietate ! Macte Majestate & clementia ! Sic itur ad astram ! Macte diebus Natalibus ! Sic recte Natalem celebras ! Et nos celebrare hunc diem cessamus ? Gratulationes cur non properamus ? cur non in omne effundimur gaudium ? Sed quibus modis condigne ? non Ethnicorum, sed Christianorum moribus.

Laudes nimirum tibi, summe Deus, immortales, qui es Fons vitae, à quo omne Bonum, & ad quem omnia, & gratias dicimus, quod Delicium hoc nostrum, populiq; amorem, Gratiolum & amabilem Principem Johannem Adolphum, nobis concessisti, donasti, & ad hunc ipsum diem salvum & incolumem clementissime conservasti. Divinam tuam gratiam calidissimis suspiriis oramus supplices, porro optimum, hunc Principem Spiritu Sancto tuo regere, sub umbra alarum tuarum protegere, & in omni, tanto Principi conveniente virtute ad res praeclarè gerendas, ad seros & canos annos conservare, manuq; tuâ ducere ne digneris. Exaudi nos Domine, populum tuum ; Protectioni tuae omnipotenti commendamus Principem. Exurge Domine, ut dispellantur inimici tui coram facie Tua propter Nominis tui gloriam, & Ecclesiae orthodoxæ incrementum.

Tu autem, Princeps Optime, lætus hunc diem transige ! hunc diem inquam festum transige, nam Deus Te amat, Deus Tibi haec otia fecit. Quem diem, quoties redeuntem videbis ( videoas autem ad extremum usq; eundemq; serum Senectutis terminum ) toties Parentis Serenissimi more, i.e. Augustum, aut si mavis Augustiorem videoas, imo Augustissimum. Numeras dies hosce meliore lapillo, funde etiam merum Genio. Te nec tempestates inquierent, nec ruinæ turbent. Lungenentes planctus absint, formidabiles casus nunquam continentur.

gant. Non lacrymis festum tuum profanetur; nec notetur  
ejulatibus. Mæstæ vestes ultra Sauromatas proscribantur, nec  
sit, qvi tuò die lætiores deponat cultus. Contracta fronte,  
neqvis occurrat tibi, quo minus lætum hunc diem transigere  
queas. In altum evehatur Ruta tua, ut ramis ex se sparsis Chri-  
stianum orbem opaco foliorum nexus protegat. Gaudеant  
Te sospite Serenissimi Parentes: Lætetur Respublica, incre-  
scant studia & Religio. Sic vive Johannes Adolphe, ~~vive~~!  
Vive, tantò Principe patens major Auguste, Primus Germā-  
niæ vive! Vivite & vos Principes Fratres Germani Duces Sa-  
xoniæ, vivite! Vive Auguste Dux Sax: vive! vive Christi-  
ane Dux Sax: vive! vive Heinrice Dux Sax: vive! vive Alber-  
te Dux Sax: vive! Domini mei clementissimi vivite! vivat  
tota Ducalis Saxonica Domus hæc Augusta  
vivat! vivat!

DIXI.



MAT

**ULB Halle**  
003 250 334

3



Pon ye 1816 , QK

WOM





Laud

qv.  
PATR

Revere

Dn. A.

Primas Ge  
næ Magdeburg  
niæ, Juliæ, Cli  
Marchio Misn  
vensburgo & E  
ac Dominus m  
tre, Patrisq; De  
Dn. Christi  
pibus a

M.

ipsô In

Literi



yricæ,

egias

GUSTER

risimus

FUS,

etropolita  
cor, Dux Saxo  
ius Thuringiæ,  
in Marca, Ra  
, &c. Princeps  
so optimo Pa  
Dn. Augusto,  
ô, Princi  
ntatæ

erni

mbr.

ldii,